

speciosa, structura pretiosa: ubi lux erit sine tenebris; corpus sine miseriis: ubi salus erit sine dolore; vita sine labore: ubi amor nunquam frigescet; gaudium nunquam decrescet: gemitus non audietur, neque dolor sentietur: ubi triste nihil videbitur; lætitia semper habebitur: ubi summa & certa securitas; secunda tranquillitas; tranquilla jucunditas; jucunda felicitas; felix beatitas; beata Trinitas; Trinitas, unitas; unitas, Deitas; & Deitatis in omnem æternitatem, perennis visio.

D I X I.



XXXV

ORATIO PANEGYRICA
GRATULATORIA
DE
CORONA BOHEMICA
AD
SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM
PRINCEPEM AC DOMINUM, DN.
FRIDERICUM
ELECTUM BOHEMORUM REGEM
S. R. IMP. ELECTOREM, COMITEM PALA-
TINUM AD RHENUM, UTRIUSQUE BAVARIÆ
DUCEM, MARCHIONEM MORAVIÆ, DUCEM SILESIAE
& LUCENBURGI, MARCHIONEM LUSATIAE,
COMITEM VELDENTIAE & SPAN-
HEMII, &c.
CONSCRIPTA
&
PUBLICÈ RECITATA
IN ILLUSTRIS
ACADEMIA MARCHICA ELECTORALI
à
FRANCISCO LANGERO
Vratislaviensi, LL. Stud.
d. 21. Decembr. Jul.
ANNO CHRISTI M. DC. XIX.

Exscripta Literis
FRIDERICI HARTMANNI, Bibliopolæ.

Programma publicè
propositum.
D. T. O. M.
De
SERENISSIMO
POTENTISSIMO; PRINCIPE
AC DOMINO DN.
FRIDERICO
ELECTORE PALATINO
EXCELSISSIMO, &c.
BOHEMORUM
REGE
MORAVORUM
SILESIORUM
LUSATORUM
DUCE
MARCHIONE
felicissimis auspiciis
&
omnibus bonis adplaudentibus
CORONATO



426428

humilimæ subjectionis
&
devotissimæ congratulationis
ergò
è publica cathedra
ad diem Martis
in Acroaterio Magno
hora VIII. matut.
Orationem Panegyricam
dicet
FRANCISCUS LANGERUS
VRATISLAV.
quem
ut antebac
de REBUS MAGNIS scitè disputantem
ita jam
de HEROË SUMMO comtè perorantem
benivolè audiant
Cives Academiae Vniversi,
amicè rogat
M. THEODORUS EBERTUS, ORDINIS
Philosoph. Decanus & SS. Linguae
Professor.
XV. Kal. Jan.
ÆRÆ CHRISTIANÆ
M. DC. XIX.



Siquisquam in hoc florentissimo cœtu est, Magnifice Dn. Rector, Viri Reverendi, Nobiles, Excellentiss. Consultiss. Experientiss. Clariss. Humaniss., Juvenes nobilissimi, præstantiss. politissimi, qui me juvenem eruditione nullâ instructum, facundiâque omni destitutum id modò operis adgressum esse, quod magnorum aliâs & excelsorum, quorum sublimitati ne comparanda quidem mea est tenuitas, virorum est, Augustiss. & potentiss. Regi & Principi de Diademate Regio, ampliss. q̄, Regno de Capite novo, in hâc præsertim splendidiss. doctissimorû hominû coronâ, & speciosâ tot excellentiss. virorum, tot clariss. Oratorum, tot insignium Poetarum, tot literatissimorum juvenum, præsentia, quæ meritò annitentem deterrere debebat, & in hâc publicâ & augustâ cathedrâ, in quâ nihil nisi probè limatum & exactè politum proferri conveniebat, quod facile mei me conscium retrahere poterat, gratulari & ad-

adclamare velle, miretur aut improbet; eum, non tantùm non miraturum amplius, sed & probaturum istud ipsum factum meum spero & confido, si hoc cogitarit probè & perpende- rit, quod sapienter alicubi eruditorum nostri seculi lumen illud clariss. Desid. Erasmus ait: *Nihil tam sui juris non esse, quam animum inopinatâ recentiq̄, latitiâ superfluentem.*

Ut enim difficilimum esse silere cum doleas verissimè dixit M. Tullius, ita vix sufferendum naturæ cum magno Erasmo credo, non loqui cum læticia gestias. Ita Cræsi filio quamvis muto à matre prognato dolor ex imminente Patri morte conceptus vocem exculsit, cum quod natura non indiderat, Pietas exprimeret. Ita Echedem Samium athletam, semper elinguemè pro merito titulo & brabeio conceptum gaudium, eque eod, interverso suscepta indignatio vocalem repente reddidit.

Jam verò quod gaudium majus esse possit, quàm è communi Patriæ, Parentum, cognatorum, amicorum gaudio exortum, eademque conjunctum? aut quæ res est, quæ bo-

ni cuiusque intimos etiam præcordiorum sinus exundantis lætitiæ æstu magis aut potius replere possit, quam Patriæ salus? aut quis tam barbarus est, tamque impius, quem non effervescenti gaudio adficiat ejus, cui nos totos debemus, populi felicitas? Quippe cum & Pietas ipsa postulet, & honestas jubeat quantum in unoquoque nostrum virium est & potestatis, tam in adjuvandis, promovendisq; commodis & detrimentis ei loco, urbi, regioni, in qua primum lucem hanc adspeximus, vitales auras hausimus, primaque corporis nutrimenta attraximus, Patriæ, ubique dulcissimæ, ubiq; honorandæ diligentissimam operam, universumque studium adhibere: Si verò deficiat aut adjuvandi, defendendive occasio, aut ipsa mere animum erga patriam piissimum declarandi facultas, hoc ipsum tamen non tantum laudis sit & decoris, quin & naturæ adfectusque ingeniti, non condolere modò communi Patriæ malo, sed & ejusdem communi gaudio adfici & lætari. At nullum equidē ex amplissimo hoc cœtu esse autumo, qui non tot hæc-

nus

nus nova non bona, calamitates tristissimas, bella periculosissima, velitationes cruentissimas, afflictiones inauditas & tempestatem nunquam satis deplorandam augustissimi regni Bohemici, & cū eodē confœderatarū Moraviæ pulcerrimæ, Silesiæ florentissimæ, utriusque Lusatiæ elegantissimæ, audierit, percepit, detestatus sit: neminem qualibet harum oriundum mihi persuadere possum, qui non unà cum ipsis ex tot afflictionibus & perturbationibus ingentem dolorem hauserit, eque earundem satietate almæ & dulcissimæ Pacis reditum interruptamque cohabitationem serio & devotè optarit & desiderarit: & quisquam etiam ubi vis terrarum inveniatur, qui, cum ineffabili immortalis DEI clementia, & imensa afflictissimorum regni istius Bohemici incolarum læticia tandem aliqua longo jam tempore quasi exulis Pacis reversuræ spes adfulgeat *electo Bohemorum Rege potentissimo Principe Serenissimo Dno. clementiss. Dn. FRIDERICO S. Rom. Imperii Principe Electore Palatino, utriusque Bavaria & Luxemburgi Duce,*

Duce, Veldentia & Spanheimii Comite, &c. lætantes ejusdem regni subjectis progenitos, quamvis absentes aliquantulum, quavis juvenes, & novo Regi de corona collata, Patriæ de spe, de pace, de gubernatione optata, sibi ipsis de suorum voto repleto, de regni & religionis purioris gravamine levato & deleto, deque novi Regis erga subjectos favore, erga liberalium studiorum cultores amore probato gratulantes repræhendat, aut retardet.

Quod ipsum dum & ego ætatis sanè immaturitate, virium debilitate, Sereniss. Regis Majestate, rei susceptæ gravitate territus non parùm & retractus, communi tamen dulciss. Patriæ adfectu incitatus, pro ingenii ruditate incompta, pro virium tenuitate inexculpta, pro rei, pro Regis dignitate nimis humili, pro vestra amplissima præsentia nimis jejuna, ex adfectu tamen meo devota, ex Patriæ communi applausu debita oratiuncula facere, & heic loci meas meorumque popularium gratulationes exprimere & communi Patriæ acclamationi adungere conor, vos, Auditores spectatiss,

tiss. lectiss, animum benevolum, aures faventes, judicium rectum, amicum, æquum adhibere quaeso ne gravemini!

*Adspice convexo nutantè pondere Mundū,
Terrasq; tractusq; maris, cœlūq; profundū:
Adspice venturo latentur ut omnia seculo:*

Poeta noster Salonino nato gratulaturus adclamat. Quidni eodem Te quoque jam Bohemiæ Regem coronatum, ò FRIDERICE Clara Deum suboles, magnū Patris incrementū, gratulabundus alloquat?

*Adspice bellorum gembundum pondere Regnum,
Et Moravos Slesiosq; simul, junctosq; Lusatos;
Adspice Te factō latentur ut omnia Rege!*

Adspice sperato latentur ut omnia seculo!
Et quomodo non latentur eo Rege, cujus in favore omne ipsorum desiderium, in cuius virtute omnis ipsorum spes, in cuius gratia omnis ipsorum salus, in cuius potentia omnis eorum fortuna, in cuius amore totus & omnis ipsorum versatur animus, in cuius amore querunt, favorem sperant, virtutem suspiciunt, potentiam perspiciunt, gratiam amplectuntur,

B

tur,

tur, imperium optant; cuius honore gaudent,
præsentia lætantur, felicitate exultant, facili-
tate recreantur? Etenim, qui circa bru-
mam tempestuosissimum illud anni tempus
in mari navigant.

*Cum semel emissi tenuerunt aquora venti,
Nilq; illis vetitum est, incommendat aq; tellus.
Omnis & omne fretum est.*

huc illuc variè agitati & fluctuantes, cum jam
deficit ars, animiq; cadunt, totidemq; videntur
quot veniunt fluctus, ruere atq; irrupere mortes,
adeoq; nihil aures personat aliud, quàm ven-
torum tubæ interitum prænuntiantes, & un-
darum atque procellarum strepitus eandem
adportantes, nihil aliud cogitationibus obvi-
um est, quàm aut natandum esse, aut, quod
certius, moriendū, nihil aliud oculos incurrit

— nisi Pontus & ather,

Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax;
ô quàm ardenti prece DEUM vocant, ô quàm
tranquillitatem maris pristinam, ventorum
& nimborum tyrannidem sedatam, & specio-
sissimum ac jam summè necessarium coeli se-
renum

renum exoptant, ô quanto desiderio exspe-
ctant circa id temporis advolare solitam Hal-
cyona, certissimum illum dulcissimæ tran-
quillitatis nuntium! ô quàm eadem adveni-
ente exultant! de qua ave marina hoc à scri-
ptoribus proditum habemus, ipsam media
bruma maximis tempestatibus, ventorumq;
furori obnoxia in scopulis marinis construe-
re nidos, ovis incubare, pullos excludere, &
eo tamen ipso tempore iisdem advolantibus
quasi obsecūdans mare furores per integrum
& ante & post brumam septemdiu remitte-
re, ventorum omnem vim & sævitiam cessare,
undarum tranquillitatem, & exinde celebra-
tissima durare Halcyonia.

Et Tu, ô BOHEMIA, ô quot & quanta ha-
ctenus perpessa es mala durante ista adeò lon-
ginqua, adeò tristi, adeò sæva tempestate belli-
ca? quæ tibi infortunii bruma? quæ calamita-
tum hyems? quæ malorum procellæ? quis im-
manis militis æstus? quot & quanti fluctus ho-
stiles sufferendi fuerunt à fronte, à latere, à
tergo exitium tibi & interitum minitantes &

intentantes? quàm variis exposita fuisti ven-
tis, dum & Euro similis acerrimus hostis Tuus
Dampirus Comes, & Aquilo ille Bucquojus
undique te impetentes hostili furore & divel-
lere te & submergere ut possent, quid non
consultarunt, quid non tentarunt? qui Jesui-
ticarum machinationum turbines? quibus
clàm irretita, palàm impetita, domi decepta,
foris capta, Tuis invisa, exteris derisa genuisti
& doluisti, corrigere aut evitare non potuisti.
quot in te emissa consiliorum hostilium & fa-
ctorum inhumanorum tonitrua? quæ gladi-
orum, quæ bipennium & machærarum ine-
vitabilia fulmina? quæ globorum aheneo-
rum, ferreorum, lapideorum, plumbeorum.

— *sulphureis ignibus acta* — grando?
quanta hæcenus in tuo exercitu lethiferæ pe-
stis nebula? quæ variorum & noxiorum mor-
borum caligo? quæ parata, quæ profusa san-
guinis copiosissima, & cruenta pluvia? quot
sublati misera, quamvis eadem (quippe pro
Patria, pro Religione, pro Libertate pugnan-
tium) gloriosa morte Tui cives fortissimi, in-
colæ

colæ fidissimi, socii conjunctissimi, amici præ-
sentissimi? quot bonis suis omnibus spoliati,
quot opibus quasi in tumultuosum istud belli
mare ejectis privati sibi miseriam, aliis com-
miserationem jam præstant? quot, ô quot ma-
tres miserrimæ amatissimorum filiorum cru-
entum lugent obitum, quot viduæ desidera-
tissimorū maritorū tristem casum? quot arces
violatæ? quot agri devastati sunt? quot incē-
dia in te visa? quot vici, quot cōpita in cineres
versa? quot interemti crudeliter infātes? quot
violatæ impudēter virgines? quot cruciatæ &
interfectæ inhumaniter matres? quæ abacta
armentorū copia? quæ excitata frumētī, vini,
& quotidiani alimētī inopia? quot auditæ hæ-
ctenus in te omnibus bonis exhaustorum la-
crumæ? quot omni fortuna spoliatorum que-
relæ? quot pressorum suspiria? quot suppres-
sorū gemitus, & vel in cœlum penetrantes
planctus? quæ inaudita tyrannis? quæ pere-
grinorum hominum, quæ extraneorum co-
piarum in te invectio, & illatio? à qua tamen
quàm semper abhorruerit candor tuus & fi-

des, exempla Ludovici Pii, & Joannis Lützen-
burgensis, illius Imperatoris Romanorum,
augustissimi; hejus Imperatoris Romani filii,
alterius Parentis, duorum aliorum Avi; utrius-
que tuorum piæ & gloriose memorię Regum,
satis demonstrant. Et quæ tandem lingua est,
quæ omnem tempestatis istius æstum enar-
ret? Loquuntur tua viscera. Loquitur Pilsnen-
sis ditio, & pulcherrima ejusdē suburbia, quàm
brevis tempore, quàm acri furore, quàm in-
genti damno, quàm dignissimo omnium do-
lore flammarum & Vulcani potestati tradita,
& ejusdem vi dejecta ac consumpta! Testatur
vicina Austria, heu quot ærumnis pressa! quot
inclusa angustiis! Clamant agri Budvveissen-
ses & Crummavienses! Sensit, heu! sensit nimi-
um vicina Moravia; vidit & metuit dulcissima
patria Silesia; doluit cultissima Lusatia, nimi-
um omnes expertæ verum esse illud vulgare:
Tum tuares agitur, paries cum proximus ardet.
Sed, heu! necdum expertæ satis, dum ex alio
latere exoriens turbo pulcherrimæ & floren-
tissimæ, atque jam tot annis secundis semper
pro-

profectæ ventis Silesiorum navi imminet, &
nescio quam aut eladem, aut ad minimum in-
sultum & procellas minitari videtur: ut iterum
illud: *Nullam calamitatem solam esse: suo i-
psorummet exemplo edocti verè exclamare*
possint.

Et.

--- si componere parvis

Magna mihi fas est ---

quæ tandem tempestas est, si hæc non tempe-
stas est? Certè plusquàm tempestas! Confrin-
gunt in tempestate marina naves aliquot,
pereunt paucæ hominum centuriæ, aliquot
opum millia submerguntur: magna sanè o-
mnia, & tristia, & deploratione dignissima!
at quantò magis hæc intempesta hyems, qua
tot millia hominum, marium, feminarum,
adulorum, puerorum, miserè trucidantur;
qua tot auri milliones insumuntur & consu-
muntur, tot hominum myriades, tot urbes,
tot arces tantis periculis expositæ nihil nisi
triste audiunt, nihil nisi cruentum vident, ni-
hil nisi adversum experiuntur, nihil optant &
expectant, quàm alienum ab istis turbis &

mo-

motibus redux aliquando serenum & tranquillum; qua denique, quod summum est, periclitatur & nutat instar navis undique infestatae & oppressae id augustissimum regnum, cujus semper decorus prius & laudatissimus status, florentissimus ordo, praesentissima omnium rerum copia, celebratissima felicitas, & caelo exaequata dignitas? quod ubique beatum praedicatum sociorum fidissimorum amoribus; maximum aestimatum vicinorum unitorum viribus.

Sed erigeris tandem iterum, Ô BOHEMIA, & vos conjunctissimae, MORAVIA, SILESIA, LUSATIA! Aeternum est illud Homeri:

--- θεὸς ἄλλο τ' ἐπ' ἄλλω

Zeὺς ἀγαθὸν τε κακὸν τε δίδοι:

Verum est, quod Poeta ait:

Fortuna nunquam sistit in eodem statu,

Semper movetur, variat, & mutat vices,

Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

Dulce est, quo alter Poetarum Princeps Aeneam suum socios suos teterrima tempestate marina in mari Siculo adflictos & dispersos,

ma-

madidos, & tantum non desperantes consolantem introducit:

O socii (neq; enim ignari sumus ante malorum)

O passi graviora, dabit Deus his quoq; finem.

--- *revocate animos, maestumq; timorem.*

Mittite, forsitan & hac olim meminisse juvabit.

Ecce adest tibi Halcyon tuus tot expectatus desideriiis, tot vocatus votis, defensor fortissimus, Princeps clementissimus, gubernator prudentissimus. Ecce, in medio isto bellorum turbine, in summa motuum tristissimorum turba, & durissima hac infortunii hyeme, ubi omnis aureae pacis calor extinctus est, omnis amoenae tranquillitatis vigor & viror emarcuit, Ipse in scopulis aestuosi maris tui, in acie & insultu hostium se tibi conspiciendum praebet diuturnae adflictionis solatium, adversae tempestatis exitium: Ipse jam constructo & occupato nido Halcyonio, corona regni Bohemici, de novo quasi Te tot calamitatibus semineccem vivam reddet & fovebit, & in eodem firmissimè compacto & certissimè fir-

C

mato

mato constitutam contra omnes procellarum impetus & fluctuum insultus defendet, atque tutam sistet!

Halcyonem nempe avem ut visu rarissimam, ita colore cyaneo potissimum, interspersis aliquot purpureis candidisve pennis, amoenissimam, collo gracili & procero jucundissimam esse naturalium ille scriptor Plinius adserit. Et ecce iterum o pulcerrimam, & exactissimam, exoptatissime REX FRIDERICI, tui icona! Nempe tanti Principis raritas majestatem tuam æstimandam, cyaneus color clementiam admandam, purpureus amorem excitatum, albus candorem infucatum, colli gracilitas ad omnia paratam præsentiam, ejusdem proceritas indefessam vigilantiam, quam exactè, quam appositè exprimit & efformat! O quanta jam spe, o BOHEMIA, tamdiu exoptata tempora tibi cum Alciato polliceri potes:

*Latus erit Cereri, Baccho quoque fertilis annus,
Æquorei si Rex alitis instar erit!*

Tali

Tali nempe opus tibi erat Rege ad componendos istos infelici exordio conceptos, cruento & tristi progressu continuatos, dubio sine metuendos motus, in quo quatuor illa in bono Imperatore à Romanæ Eloquentiæ Sole illo requisitæ res invenirentur. O felicem eam Rempublicam, o felix regnum, cui tantum bonum à Deo non denegatum est! Atque ad eò o felicem te, cui quod in Rege tuo desideras, omne convenit; quod in eo repræhendas, nihil obvenit! Si enim auctoritatem & majestatem Regis spectes, apud Tuos summa est, apud exteros amplissima, apud hostes terribilis: si virtutem in Principe requisitam, in ipso est copiosissima, coràm aliis splendidissima, si rei gerendæ scientiam, in animo certissima est, in factis spectatissima, in consiliis prudentissima: si denique in agendo felicitatem consideres, *quam præstare de seipso nemo potest, meminisse & commemorare de altero possumus*, quæ Ciceronis verba sunt, admiranda ea est, & probatissima, & tanta, ut verè iterum cum

C 2

Cic:

Cic: dici possit, *Sereni S. huic novo Regi nostro ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas benè gerendas divinitus adjunctam fortunam.* Certè ad Majestatem & reverentiam conciliandam vix quidquam esse puto, quod magis conferat, quàm familia Illustris, Parentes celsi, & origo splendida. Quæ ipsa hujus Sereni S. Regis nostri & Domini clementis S. quæ generis & familiarum claritudinem, augustissima est; quæ majorum, quæ parentum res gestas, toti orbi admiranda, quæ durationem & antiquitatem.

----- longo

Derivata sate proavita gentis & avi; quæ omnes virtutes principales, celeberrima, amabilissima, laudatissima. Quis enim est, qui nesciat Ducum Palatinorum & Bavarorum stirpem celsissimam? Quis Regii Galliarum sanguinis, unde Avia materna oriunda, magnitudinem splendidissimam? quis Regum Danorum, unde Proavia paterna, splendorem augustissimum? quis Nassovicorum Comitum, unde

unde Mater illustrissima, æternam & cælo æquatam famam aut ignorat, aut non impensissimè veneratur & colit? Quanta porro est ejusdem Sereni S. Regis nostri cum tot præcipuis & potentissimis Europæ nostræ Regibus, Principibus, Provincieis, amicitia & conjunctio? quæ cum universis ferè purioris & à Pontificio fermento purgatæ Religionis defensoribus unio? Quàm illustris potentissimi & sapientissimi Magnæ Britanniarum Regis per matrimonium cum ejusdem propria & unica Filia, Gratiarum, Pietatis, & omnis Heroicæ Virtutis exemplari fulgentissimo & exactissimo, inquitum devinctio? quàm ingens ejusdem Soceri erga hunc Generum in filii locum assumptione, in Auræ periscelidos Equitum ordinem illustrissimum receptione & adscriptione declaratus amor & ardor? Quæ exinde D. FRIDERICI nostri potentia? quæ in omnem necessitatis casum præsentissimæ cognatorum, adfinium, conjunctorum auxiliatrices copiarum? Quæ omnia, quantum apud te

valuerint, Ô BOHEMIA, vel hoc ostendit & demonstrat unum; quod præ omnibus aliis Principibus Hunc unum tibi Regem, Defensorem, Patrem, quàm rectè! quàm sapienter! quàm prudenter! delegeris, exoptaris, & quod felicitatis tuæ est, consecuta sis.

Virtutes tuas, Ô FRIDERICE REX, ne publicè Maj. T. adulari videar, enarrare jã nō instituo; cùm hoc sciam, injuriam me potius facturum tibi deficiendo, quàm attentando gratiam apud te initurum, cùm ad enarrandam earum copiam, explicandam magnitudinem, laudandum splendorem, referendam constantiam, & linguæ vires me deserant, & temporis nimis breve spacium sufficere non possit.

Laudis enim cumulos, quibus, Ô FRIDERICE, redundas,

Velle satis dignâ verborum condere pompâ,

Non est res operæ mediocris, & unius horæ.

ut tantum cum Poeseos illo nostri temporis Sole: Taubmano exclamandum mihi sit.

O quan-

*O quantum vellent, possem quoque præside Phœbo,
Et major juvenes impleret spiritus annos,
Ut satis ad tanta tua sim præconia laudis.
Usque adeò virtus, & demiranda per omnes
Vita modos, genijq; tui me nomina raptant!*

Satis me modò dixisse arbitrabor, si hoc dixerō cum Lyrico:

Fortes creantur fortibus, & bonis

Est in juvenis, est in equis Patrum.

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquila columbam.

Quotus quisque enim est, qui Proavum Regis nostri augustissimi, celsissimæ memoriæ Principem, FRIDERICUM III. ELECTOREM PALATINUM nesciat citra controversiam, magnum, quàm insigni pacis studio, quam ardenti pietatis amore, quam acri bellorum & barbarum odio, quam accurata in agendo fuerit Prudentia? Cui non nota est fortissimi Herois JOHANNIS CASIMIRI Propatruī, viri glōria rei militaris celeberrimi singularis Prudentia, decora Gravitas, admiranda.

da sobrietatis observantia, & nulla non laude
evchenda in actionibus & fide Constantia?
cujus virtutes cum irrecuperabili damno, in-
extinguibili rubore, infinito dolore experti
sæpiùs ingemuerunt Hispani, cum copias in
Galliam juvando Illustriss. Principi Condæ
duxisset, & in Belgium adversus Joannem Au-
striacum expeditione bellica profectus esset.
Pater piæ memoriæ felicissimus, FRIDERI-
CUS IV. quantæ auctoritatis, virtutis, pieta-
tis fuerit, in recenti est memoria, ut exinde
etiam MAGNI nomine hodiè adhuc, & in
publicis scriptorum libris nuncupetur. Avus
Maternus quam magnanimus, quam nun-
quam satis laudatus GVILIELMUS ille NAS-
SOVICUS, Auriaci Princeps, quò non fama
factorum & virtutum suarum delatus vivit
& viret? Quæ terra tam deserta, aut quis uni-
versi Orbis angulus est, qui non MAURITII,
cellissimi, literatissimi & bellicosissimi Prin-
cipis NASSOVICI, Avunculi, factorum stu-
pendorum, virtutum singularium, ingenii
planè

planè divini, magnanimitatis excellæ, aucto-
ritatis amplissimæ, prudentiæ probatissimæ,
& pietatis nunquam satis celebrandæ famâ
repletus ejusdem laude resonet, admiratione
obstupescat, amore exardescat, cultu defati-
getur? Jam verò quæ pietas illustrissimæ Ma-
tris LOYSÆ JULIANÆ? quæ omnium vir-
tutum feminearum, & plusquam feminea-
rum in eadem synodus? ut omnium, etiam,
Pontificiorum quantumvis adversariorum,
sententia singulare probitatis & pietatis ex-
emplar habeatur? quod ab ipsa Filio dum te-
nero infusum unà cum materno lacte pietatis
feminium? quis honestatis & probitatis amor?
quis virtutum ardor? Ita ut potētis. isti novo
Regi nostro à parentib. quasi implantata, ipsâ
naturâ connata, & à primis teneris ve unguicu-
lis amata semper fuerit uberrima omnium
virtutum regiarum & principalium copia &
corona; nec innata tantùm & amata, sed & ita
usurpata, ita tenera jam ætate exulta, ut etiã
adolescens adhuc cum gloria & omnium ad-
D mi-

miratione non tam à suis, quàm exteris im-
mensis in cœlum usque laudibus fuerit eve-
ctus. Quid, quòd adhuc in minori ætate con-
stitutus, necdum rerum gubernaculis tenēdis
& dirigendis præfectus, Tutore & administra-
tore Electoratus agnato fidissimo, celsis, & il-
lustris. Principe, JOHANNÉ BIPONTINO,
Comite Palatino, in solemnè inauguratione
augustis. Rom. Imper. p. m. D. MATTHIÆ
Francofurti ad Mœnum facta, non ipsi modò
Cæsareæ Maj. sed & Augustæ ipsius, aliisque
Electores, Principibus & Legatis impensum
sui amorem & cultum singularem propter
amœnissimos mores, & suavissimas atque pla-
nè Principales virtutes incusserit? Quid, quòd
cum virtutum istarum plurimarum quotidia-
no exercitio ardentissimum conjunxerit re-
rum gerendarum scientiæ, Prudentiæque stu-
dium, partim vix octennio absoluto materno
gremio abductus in Gallia apud Illustris, Du-
cem BOULLIONEUM cognatum quoti-
diana & assidua virorum tam militaribus fa-
ctis.

ctis insignium & gloriosorum, quàm litera-
rum honore & decore clarissimorum conver-
satione; partim strenua literarum humanio-
rum & Principali Celsitudine dignarum, eru-
ditionisve non vulgaris *(perpenso hoc, quòd*

--- pura inserta smaragdo

Splendidius multò fax lucet & acrius hircus
Perstringit nostros, quàm còdit a simplice cornu
adquisitione; tum & diligentissima viri Cla-
ris. D. HENRICI ALTINGI, nunc in illu-
stri Academia Heidelbergensi Professoris
eximii hoc in stadio opera & accurata institu-
tione? Ne silentio involvam complures vi-
ros clarissimos, Consiliarios dexterri-
mos, utrumque semper latus sereniss. Regis
stipantes, quorum opera & consilio quàm
feliciter, quàm pacatè, quàm laudatè Electro-
raturum Palatinum tam qua Romani spectat,
Imperii molem, quàm ipsius Electoratus, te-
nuerit, & gubernarit, res ipsa testatur. Et sanè,
quamvis in ipsius potestate fortunam positam es-
se dicere nemo possit, præteritorum tamen memi-
nisse,

nisse, futura sperare possumus. Et quis est, qui non admirandam & singularem ad res maximas gerendas, adque regna & Respub. regendas adjunctam divinitus fortunam credat & agnoscat ei, quem adhuc juvenem & in florētissima ætate constitutum ad patrium statim clavum & avita gubernacula locare, tam augusto & splendido conjugio beare, & ut magnum Avum nepote, & Palatinatum Principe, ita ipsum sereniss. Parentem lectissimo filio primo statim conjugii anno exhilarare, atque ita sceptrorum & factorum paternorum herede excitare, tam frequenti potentissimorum Regum & Ducum amicitia & conjunctione ornare, adeò felicibus in omnibus actibus & gubernatione Electorali successibus donare, tot prudentiss. & sapientiss. consiliariis stipare, sociorum, vicinorum, conjunctorum auxiliis paratissimis armare, & nunc tandem nihil tale agitantem vel cogitantem, subitò & improvisò ad tam augustum regnum tam excelsa sceptrà, tam arduas res gerendas

vocare, & suscipiendas atque acceptandas instigare & incitare Fata voluerunt? ut verè de hoc Principe nostro, quod Cicero quondam de Cn. Pompejo M., exclamare posse mihi videar: *neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à Diis tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas DEVS Opt. Max. immortalis ad D. FRIDERICUM Regem Bohemia coronatum detulit & devolvit!* Quo ipso lætare & gratulare tibi Ô BOHEMIA! Ô MORAVIA! Ô Patria SILESIA! Ô LUSATIA! & ut hoc omne proprium sit & perpetuum Regi Tuo cum communis salutis atque Regni, tum ipsius Regis tui causa opta & precare! Gaude Rege novo, quem PACIFICUM nomen innuit, omen promittit, innata clementia efficit, tua afflictio optat, Salus Reipub. sperat; quem verendum tibi & colendum ipsius facit Majestas, amandum Clementia, suspiciendum Sapientia, observandum Prudentia, amplectendum Pietas; timendum hostibus & tremendum in negotio labor, in periculo fortitudo,

in agendo industria, in conficiendo celeritas.
Gaude, inquam, o gaude, o Bohemia, & exulta
hoc tuo bono! accipe defensorem strenuum,
suscipe Patrem amantem, excipe, quem desi-
derasti haecenus, Halcyona advolantem! & de
istis tam magnis, tam laetis, tam gratis, tam o-
ptatis quanta debes, quanta potes, animo per-
cipe gaudia, precesve concipe, quibus merito,
digne, devote immortalis DEO pro adeo pre-
cioso munere, adeo sperato tempore, adeo ex-
petito Principe gratas agere possis gratias: sed
& o eundem ora, ut Pacem tot votis optatam,
tot hominum millibus desideratam, ut neces-
sariam! ut salutarem! tandem iterum largia-
tur & producat; ut, quod modo dedit, conser-
vet diu, & amatissimo Regi tuo vitam longæ-
vam, sanitatem perpetuam, fortunam prospe-
ram, successus optatos, consilia prudentia, at-
que adeo quæcumque ostendit haecenus bona
& proficua, sustentet & defendat in posterum
continua! O mecum, VIVAT! VIVAT! O VI-
VAT ET FLOREAT REX! iterum & iterum
exclama!

At

AT TU

*Regni decor, subditorum ardor, hostium terror;
Sereni S. & Potenti S. coronate Rex Bobemia,*

D. FRIDERICE

*Heroum palmare decus, spes summa tuorum
Adveniens Salve! Te vota ardentia vulgi,
Te Procerum applausus, & Martia pectora latum
Accipiunt, Regemq; alto clamore salutant!
Cernis, ut erecto Regni modo florida vultu
Nobilitas, leq; Duces, & honora Senatus
Fulcra suos animos, sua gaudia celsa recludant?
Quadrupedante ruit sonitu generosa Furventus
Ardua equis lati spaciola per aquora campi,
Inq; gyros modo versat equos, modo prævia lentè
Singula pomposo relegit vestigia gressu;
Perq; vices altas modo luxuriantis in auras
Corpore fertur equi, proni modo momine nutat,
Et longâ serie, speciosq; ordine prodit
Exceptura tuos, Rex, obviam, maxime, vultus.
Martia sulphureos tormentis grandibus ignes
Ejaculata suo promore expromit amores
Turba tibi, cultusq; suos; aratq; longo
Agmina stant pulchrè splendetibus ordine in armis:
Tympana tensa boant, tuba personat aenea late
Inflatos imitata modos; mediisq; subinde.*

Signifer

Signifer excelsi sinuosa volumina versat
Vexilli, curvosq; reducta reducit in arcus,
Atq; iterum, atq; iterum modò subjecti aquoris aqua
Planitie ducit, patulas modò tollit in auras:
Adcurrit latè populus, junctiq; juventa
Progressu titubante senes promiscua turba,
Adglomerant sese, densantq;, & longa viarum,
Obstipant latera, ut spectent, què cernere REGEM
Optavere diu, varianteq; murmure vocum,
Et modò compresso, panso modò gutture latum,
Adventum, celsosq; tibi gratantur honores,
Adjicit & Musæa cohors sua symbola, Phœbo
Præsede dulcisonos altè modulata canores;
Panduræq; fides, Testudo, & Setiger arcus,
Ductiliumq; sonus flatu moderante tubarum,
Conveniente melos confundunt ordine; doctas
Ut Charitum pulli faciles in vota Camenas
Ingenijq; vocant vires, & carmina condunt
Pro felice aditu, pro longâ, magne, salute,
REX FRIDERICÆ, tuâ, redeuntisq; omine
Pacis.

Omnia, ut exhibeat dignos Tibi quisquis honores
Pro modulo, pro sorte suâ, Tibi quisque secundam
Spem sibi de tanto conceptam Principe prodat.
O agnosce Tuos! & quos Tibi supplice gestu

Exponit


Exponit devota suo **BOIEMIA** Regi,
Slesiaque, & Moravia conjuncta Lusatia cultus!
Te Bellona ferox metuit, Te **PACIS AMOREM**
Nomen ait, omen promittit, & anxia tantum,
Adflicta exspectat spes & fiducia gentis.
Te Pax, læta suos iterum spectabit honores,
(Aurea Pax, tantumque aliis, quam cœlica terra,
Anteferenda bonis!) Te Principe secula regno
Aurea reddentur, speratq; tempora nostro,
Post hæc misifici fermento libera monstri
Religio in regno vel ob hoc felice vigebit;
Nec velut antè suis cogetur cedere Momiis,
Nec semper metuisse dolos, atque impia semper
Consilia & varias sine fine & nomine fraudes,
Quæ sibi de **JESU** confictum nomine nomen
Adtribuit, magè non ulli contraria, sectæ,
Nec longas errare vias, hyemesque Notosque
Et pluvias misera pati, dum pura beati
Audiat, & vix tuta tamen, præconia verbi.
Non, velut antè, suum poterit dispergere virus,
Non & ut antè, suum poterit defendere sceptrum,
Illa decemcornis Romani bestia templi,
Illa obscurati mentita vicaria Cœli,
Non operum nullum illud opus, Sanctique vocati,
Pensilibusque preces numerata ex ordine spbaris,

E

Et

Et proprio corpus lacerumque dolensque flagello,
Atque via longa, & pleni jejunia ventris.
Sed Pietas & clara sacri fax splendida verbi
Semper erit, semper fidei vis libera pura,
Armaque seua suo deponet corpore miles,
Nec magis infestum spectabit comminus hostem.
Non inter lituos posthac & feruida mater
Prælia crudeli prostratum funere natum,
Anxia deplanget; nulli bona parta suaque
Sustenta clafero rapiuntur milite vita
Sed Leges & Jura iterum, rutilansque priori
Dia Themis vultu, felixque Astra vigebunt.
Mutua Cantori Pietas, Clementia Justo,
Læticia constans Ubertas oscula figet.
Dulcis erit Cereri Bacchoque amplexus: & olim
Rura paterna colens cantabit rusticus altâ
Voce tuas laudes, FRIDERICÆ, & dulcia Pacis
Munera; quisque suos tutus præstare labores,
Et partis animo poterit gaudere sereno.
Hac de Te spes est ô REX, hac vota Tuorum
Hac sibi de tanto promittit Principe Regnum,
Et Proceres, Socijque: hac sunt, hac omnia Fati,
Mirima cui vis est, cui summa potentia, rerum
Mille modi, innumeraque via; nil tale volenti
Volventive TIBI quod splendida & ardua Regni
Sceptra

Sceptra Bohemiaci sceptris adjecit avitis.
O exple spes has, ô reple hac vota tuorum!
Pacificumque sibi Regemque Patremque secundo
Sentiat optatum subiecta Bohemia voto!
Sic longæva Tibi vita & Sors accuba præsto,
O FRIDERICÆ, Tuis sic maximus optimus adsit
Adjuva JHOVA ausis! sic & felice gubernes
Successu, vigeatque Tuopax incluta regno!
Omne Tibi adversum cedat, cadat hostis, & alto
Victorem faciat Te Gloria celsa triumpho!



AD

FRANCISCUM LANGERUM

suum, Juvenem præstantissimum.

Pro Serenissimo Bohemiæ Regis

FRIDERICI ARCHIPAL:

publicè orantem.

Bis respondentem te pulpita bina probarunt
Præsida me, Viader gaudia promisit ovans.
Promisit ovans Viader duplicatâ gaudia laude,
Gratares Regi cum Diadema novo.
FRIDERICUS Diadema capit virtute propriâ
Bojemum, firmat quod Pietate Decus.

Quam

Quem Patris candor, quem & avunculus excitat armis
Mauritius, matris vota, manuque socer,
Artibus externâ transacta puertia glebâ;
Suesceret ut publicæ munia ferre rei.
Escendit primo thalamum Regina juventæ
Vere, Britannorum gloria, spes & amor.
Admotus Patriæ recti monumenta secutus,
Munimenta dedit, pignora certa, domus.
Dotibus his Regem commota BOHEMIA legit,
Non prece, nec pretio, quem prece Jhova dedit.
Omne piis paret, pietas parat, omnia, verâ
Quæ munita viget relligione, fide.
Perge DEUM verâ, REX, Relligione vereri,
Transferet hic, in te pluria scepra senem.

L. M. Q. F.
Cyr. Herdesianus J. U. D. & P. P.



ΕΥΝΘΕΩ.
MATHESIS
INTIMATA,

In
ILLUSTRI SCHON-
AICHIANO

à
DAVIDE VECHNERO
FREIST. SIL.

Idib. Jan.

Anni M. DC. XIX.



BETHANIE,

Exscripsit typis Johannes Dörfferus.